



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4. Quo tempore futurum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Responsio. iudicem, sed significationis potius. Secundo vero, & melius dicitur, more scripturæ, dexteram & sinistram significare felicitatis, & infelicitatis, honoris vel abiectionis locum. Et ita fere exponit Origenes tractat. 24. in Matt. quamquam ex falso fundamento, ut visum est. Eundem vero sensum indicat Hilarius canon. 28. dicens in dextera, ac sinistra collocans unumquemque, digna aut bonitatis, aut malitie sede constituit. Apertius Anselmus, Matth. 25. sic exponit ad dextram, id est, in æterna beatitudine: ad sinistram, id est, in æterna miseria, commodius in Elucidario inquit, ad dexteram scilicet sursum in gloria, ad sinistram deorsum in terra. Et hanc expositionem frequentius Scholastici sequuntur.

SECTIO IV.

Quo tempore futurus sit secundum Christi aduentum ad iudicium.

Constat in primis, aduentum Christi iudicis non esse futurum ante ipsummet tempus, vel diem, in quo peragendum est iudicium. Tum quia, cum hæc sit sola causa huius aduentus, & præsentis corporalis Christi in hoc inferiori mundo, non est cur ante prædictum tempus fiat, tum etiam quia (ut supra agentes de resurrectione dicebamus) rationi magis consentaneum est, ut iudicandi expectent iudicem, aut illi venienti obuiam exeant, quam ut ipse eos præueniat, vel expectet. Nulla ergo, aut breuissima intercedet mora inter iudicis aduentum, & inchoationem iudicii: & ita fere semper hæc duo in Scriptura coniunguntur, & hoc fere ordine describuntur Matth. 25. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis sue, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit ab invicem: Et infra, Tunc dices Rex is, qui ad sinistram eius erunt, &c.

Secundo etiam certum est ex Scriptura, & interpretatione, & consensu totius Ecclesiæ, tam Christi aduentum, quam iudicium futurum esse in extremo tempore, seu die durationis mundi, ut patet ex testimonijs supra citatis, quod latius declarabimus disput. ult. huius materie. Quapropter sententiam Lactantij, & aliorum dicentium, aduentum Christi futurum mille annis ante finem sæculi, hæretica est, satisque in superioribus improbatæ, refellendo Chilistarum errorem. Hinc ergo fit, ut questio hæc de tempore iudicii & aduentus Christi coniuncta sit cum questione de duratione, & consummatione mundi. Est autem sermo de mundo, non quoad substantiam elementorum, & corporum cælestium (de quo in vltima disput. huius materie non nihil dicemus) sed quoad generationes, præsertim hominum, & consequenter aliarum rerum, quæ propter hominem conditæ sunt. De quo Aristotelis & quorundam Philosophorum opinio fuit, mundum hoc modo non esse consummadum, sed perpetuo duraturum. Qui ideo errarunt, quia de re, quæ ratione naturali investigari non potest, iudicium tulerunt. Nam sicut creatio, ita & conservatio mundi pendet ex libera Dei voluntate. Quapropter dixit Christus, Act. 17. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Supponimus ergo ex huius mundi sub hac consideratione aliquando esse periturum: inquirimus autem quando periturus sit, aut quor annis sit duraturus.

Quidam igitur tradiderunt, mundum duraturum sex mille annis, & consequenter in fine eorum futurum esse iudicium, & aduentum Christi. Hic error tribui solet Millenarijs, illumque expresse docet Lactant. libr. 7. diuinar. Inst. cap. 14. & 24. qui tamen post sex mille annos expletos, dicit futuros esse mille alios felicitatis Sanctorum in terra. Et eiusdem

sententiæ est Iustinus Martyr quæst. 71. ad Gentem, & Irenæ. libr. 5. contr. hæres. capit. 28. & Hilar. can. 17. in Matth. & Hieronym. Epist. 139. ad Cyprian. Presbyterum, exponens verba illa Psalmi. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quæ præterij, & insinuat Miche. 4. in principio, ubi tempus fidei gentium, id est, Euangelicæ prædicationis, & conuersionis mundi sentit tantum duraturum quingentis annis, & hanc esse nouissimam horam, de qua loquitur Ioann. 1. canon. cap. 2. & Gaudent. Brixensis tractat. 10. qui est octauus in Exod. August. etiam 20. de Ciuitat. cap. 9. hanc referens sententiam, illam non iudicat improbabilem. Refert item Lactantius, apud Ethnicos fuisse hanc peruulgatam opinionem, & Sybillas multa de ea prædixisse. Hebræos idem fuisse sequutos, præter R. Salomonem, & Isaac, referunt Galatinus lib. 4. cap. 20. & Picus Mirandulan. lib. 6. Heptapli. capit. 4. ex quodam oraculo Eliæ, quod habetur in Thalmud, in libro Sanhedrin, cuius verba referunt prædicti auctores. Non est tamen illud oraculum Eliæ Prophetæ, sed alicuius Rabbini. Coniectura qua omnes citati Patres videntur, est, quia sex diebus creatus est mundus, & in septimo fuit Sabbathum, & requies: sed apud Deum mille anni sunt tanquam dies vna, ergo durabit mundus sex annorum millibus: postea vero sequetur requies diei Sabbathi, quam Millenarij exstimaabant duraturam per alios mille annos terrenæ felicitatis, nos autem dicere possumus esse diem æternitatis, ac æternæ beatitudinis, & quietis. Alias similes coniecturas addunt Hebræi tam futes, ut illas referre superuacaneum sit. Huic vero annorum numero quingentos annos addidit Germanus Constantin. in Theoria rerum Ecclesiasticarum parum à medio, qui refert Chrysostom. Cyrill. & Hippolytum in eam sententiam. Sed in oratione Hippolyti de consum. mundi, quæ extat, nullum verbum de hac re legitur: opuscula vero Chrysost. & Cyrill. de Antichristo non extant, neque in eorum operibus huius sententiæ vestigium inuenitur. Neque intelligo, quo fundamento Germanus hos quingentos annos addiderit. Quod enim ait, quando Pontifex populum obli-gnat seu benedicit, manum, & digitos attollens, in ipsa digitorum compositione, & figura significare prædictum numerum sex mille quingentorum annorum: hoc (inquam) quomodo, aut quo sensu intelligendum sit, concipi satis non potest, nedum explicari. Alios similes ac varios dicendi modos refert August. 18. de Ciuitat. cap. 53. quos omitto, quia nec maius habent fundamentum, nec propria indigent impugnatione, simul enim cum prædicta sententia refelluntur.

De hac igitur veteri sententia tria mihi dicenda videntur. Primum prout à prædictis authoribus asserta est, ipso rerum euentu conuictam esse falsitatis, & erroris. Nam omnes illi auctores, sequentes septuaginta interpretes, arbitrati sunt, Christum natum esse currente iam sexto millenario à creatione mundi. Vnde si vera fuisset eorum sententia, iam nunc durasset mundus plusquam sex mille, & sexcentis annis. Vnde Lactantius dixit, sua ætate tantum superfuisset ducentos annos vsque ad secundum Christi aduentum, & mille ducentos vsque ad finem septimi millenarij, quem ipse ponit, qui omnes, & adhuc plures iam sunt transacti. Et eodem modo sentiunt reliqui scriptores citati. Et iuxta eandem supputationem dixit Cyprianus in præfat. libr. de exhortatione Martyr. ad Fortunatum, Sex mille anni iam plene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat, & Ambr. libr. 7. in Lucam, in principio, hoc argumento impugnat prædictam sententiam. Quia plures quam sex mille computantur anni, quamquam reuera eius ætate nondum essent completi sex mille anni ætatis mundi, iuxta prædictam supputationem. Atque simili argumento, præter alia, quæ statim subijcie-

4. *2. d. 5. r. 1.*
6. 14.

mus; conuincuntur falsa esse, & vana, quæ de mundi duratione traduntur libr. 4. Eldræ capit. 5. 11. & 14. quæ sufficiens causa est, vt ille liber è canone rejiciatur.

Secundo dicendum est, iuxta veram supputationem annorum à creatione mundi, non posse euidenti aut certo argumento conuinci falsum esse, quod prædicti Patres affirmant. Probatur aperte. Quia (vt latè ostendi præcedenti tomo) secundum veritatem Hebraicam Christus natus est circa quatermillesimum annum à creatione mundi, nunc ergo ad summum agitur annus quinquies millesimus sexcentessimus ætatis mundi: super sunt igitur quadringenti anni, vt compleatur numerus sexmille annorum: sed in ijs optime impleri possunt omnia, quæ in scriptura prædicta sunt, fore ante diem iudicii, ergo fieri rectè potest, vt finito illo annorum numero, mundus etiam finiatur: nullo ergo argumento conuinci potest prædicta sententia falsitatis. Et hoc modo asseruerunt hanc sententiam Hebræi antiquiores, qui (vt referunt Galat. libro. 1. & Genebrar. in principio Chronographiæ) dicebant sex millia annorum futura durationis mundi, duo millia inanitatis, id est, ante legem: duo millia legis: & duo millia temporis Messie.

*Dies iudicii
mundique
futuri du-
ratio pro-
fusa
incerta &
inognita.*

Tertio dicendum est, prædictos autores asseruisse rem prorsus incertam, quæ nulla auctoritate, vel ratione probari potest. Hoc probatur primo, quia nihil ab eis asseritur ad hoc probandum. Oraculum enim Eliæ apocryphum est à quodam Rabbino cōfictum. Coniectura autem illa sumpta ex sex diebus creationis mundi nullius momenti est, tum quia illæ metaphoricæ significationes non possunt ab vno loco ad alium liberè transferri. Dicuntur enim mille anni esse apud Deum tanquam dies vnus, vt immobilitas diuinæ æternitatis significetur: non vero vt dies creationis significet sæculum durationis mundi. Tum etiam quia dici potest, illos sex dies significare sex mundi ætates, quæ non habent æqualem annorum durationem. Secundo ostenditur hoc probatur. Quia scriptura dicit, tempus aduentus Christi esse incertum, & incognitum nō solum hominibus sed etiam angelis Matt. 24. & Mar. 13. De die illa nemo scit. Neq̃ satis est, si quis respondeat diem & horam posse esse incertam, quamuis annus sit præfixus, & certus. Nam (vt rectè Aug. annotat,) dies, hora in huiusmodi scripturæ locis absolute pro temporis duratione sumitur. Non igitur solum nos latet, quæ die vel hora in rigore sumptis futurum sit iudicium: sed absolute quo anno, vel (quod idè est) post quem annorum numerum futurum sit. Vnde Actor. 1. interrogatus Christus de illo tempore, respondit. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quo testimonio putat Aug. 18. de Ciuit. cap. 35. sufficienter redargui omnes, qui annos durationis mundi computare ac definire conantur. Ex quibus alij (inquit) quadringentos: alij etiam mille ab ascensione Domini vsque ad eius vltimum aduentum compleri posse dixerunt, qui coniecturis vtuntur humanis, non ab eis aliquid de scriptura canonica auctoritate proferunt. Omnium vero de hac re calculantium digitos resoluit, & quæscere iubet ille, qui dixit. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Atque eodem argumento contra hanc sententiam vtitur idem Augustinus Enarrat. in Pl. 6. in principio, & Enarrat. in Psalm. 89. circa illa verba, Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies besterna quæ præterit, & Epistol. 78. & 80. Sic etiam Cyrill. Ierosolym. catech. 15. de hac re agens inquit, Tempus nemo curiose inquirat, Non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fient, neque rursus superius iaceas. Eandem sententiam grauitè, atque eueruditè docuit Beda lib. de ration. tempor. capit. 64. 66. vbi contrariam, friuolam & hereticam appellat.

Matth. 24.
Marc. 13.
August.

A. 1.

August.

Augustin.

Cyrril.
Ierosolym.

Beda.

Sed applicanda sunt singula singulis. Vocat enim hereticam quoad eam partem, quæ est de errore Chiliafarum, friuolam vero quoad aliam, quæ temporis, & annos definit. Chrysostomus etiam hom. 9. in 1. ad Thessalon. in hanc sententiam eleganter interpretatur illa verba capi. 5. De temporibus autem non opus habetis, vt vobis scribam: Ipsi namque scitis diem Domini, vt furem in nocte, ita venturum. Vbi inter alia inquit tam incertum esse tempus consummationis mundi, quantum vnique incertus est dies mortis. Idem latè tractat Autor imperfecti in Matth. hom. 50.

Chrysost.
1. Thessal.

Quartò tandem ex dictis concluditur à nemine posse affirmari quo tempore, anno, aut die futurus sit secundus Christi aduentus, atque adeo curiosum, & superuacaneum esse id inquirere: cum diuina prouidentia ita ordinatum sit, vt nobis sit occultus, vt constet ex citatis verbis Christi, & ex Luc. 17. & 21. Est etiam optimum testimonium illud Malac. 3. Ecce venit, dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Si verum est ea verba de secundo aduentu esse intelligenda, vt vult ibi Theodor sequutus Eusebium libro 5. de Demonstr. capit. 28. in qua sententia est etiam August. 18. de Ciuitat. capit. 35. & libr. 20. cap. 25. & 26. Aptior locus est Zachar. 14. Et erit in die illa, non erit lux: sed frigus, & gelu, & erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies neque nox, & in tempore vesperti erit lux: vbi ad literam loquitur de die iudicii, quæ nota Deo dicitur. quia soli ipsi est cognita. Ratio verò non est alia, nisi quia hoc pendet ex voluntate diuina, quæ nobis non est reuelata: & ratione inuestigare nequit, non solum ab hominibus, sed neque ab Angelis. Nam si aliqua in re, certè in hac maxime, ratio facti erit voluntas facientis. Præsertim, quia (vt supra dicebamus) tota pendet ex eo, quod numerus prædestinatorum compleatur, qui numerus quoad primam prædestinationem, & electionem ex sola Dei voluntate pendet, & ratione inuestigare non potest, nisi ipse Deus reuelet, vt per le notum est. Et licet numerus cognoscatur, adhuc esset incertum quanto tempore esset implendus.

Demonstr.
iudicij
perquirere
curiosum, &
vanum.
Lu. 17. & 21.
Malac. 3.

Theod.
Euseb.
August.
Zach. 14.

Hic verò occurrebat tractandū, an animæ Christi sit nota illa dies, & an ab aliquo Beatorum cognoscatur. Sed hoc satis attigimus superiori tomo q. 10. art. 2. in commentario, vbi locum Marci late tractauimus, & ostendimus animam Christi cognoscere illum diem non naturali scientia, sed beata, & infusa: de Angelis verò & alijs Beatis diximus esse incertum, an in Verbo cognoscant hunc diem: verissimilius autem duximus cum Rich. Soto & alijs in 4. d. 43. non cognosce. Quod tamen regulariter intelligendum est: nam fortasse à B. Virgine cognoscitur. Referunt autem Rich. Sot. & alij Aug. in Ench. c. 36. dicentem, sanctos Angelos cognoscere numeram hominum prædestinatorum. Sed in primis etiam hoc cognoscant, non inde fit, vt cognoscant tempus durationis mundi, vt dixi. Deinde Aug. in eo c. nihil dicit. in ca. verò 62. vbi hac de re agit, exponi posset non absolute docere, Angelos cognoscere totum numerum hominum electorum: sed solum quot homines assumantur ad reparandas ruinas Angelorum. Verba enim eius in fine c. 61. hæc sunt, Ex ipsa hominum redemptione ruina illius Angelice destrimentæ reparatur: statimq̃ c. 6. subdit, Et vix nouerunt sancti Angeli docti à Deo, unus veritatem æternam contemplatione beatissunt, quantum uni, quantum numeri supplementum de genere humano, integritas illius ciuitatis expectet. At verò cum homines non solum assumantur ad beatitudinem ad supplendas ruinas Angelorum: sed etiam per se, & ex propria intentione, sicut ipsi Angeli, plures fortasse erunt homines prædestinati, quam ad reparandas ruinas Angelorum assumpti: & ideo licet hic numerus cognoscatur, non sequitur totum numerum prædestinatorum hominum agnosci.

Dubium.

Reponitur.

Rich.
Sot.

Aug.

Ex di-

Ex dictis consequenter colligitur etiam esse incertum: quia die hebdomadis, & quia hora diei, id est, nocturna vel diurna aduentus Domini ad iudicium futurus sit. Quamquam de hora probabile sit futurum hora matutina, sicut supra diximus agentes de generali resurrectione. Addit etiam Lactant. li. 7. c. 19. futuram illam horam eadem, in qua Christus resurrexit, & in Dominica die. Sed quia coniectura hoc ipse dixit, posset alius excogitare, venturum Christum, quia die ascendit: vel iudicaturum quia die iudicatus fuit, aut quidpiam simile. Est ergo tota hæc res incerta, & lubrica.

Sed dicet tandem aliquis, quamvis definitè dici non possit, quot super sint anni vsque ad diem iudicii, tamen ex signis, quæ de illo prædicta sunt, posse nos coniectare, vtrum iam appropinquet, an adhuc longissime distet. De qua re prolixè satis scripsit Hieronymus Vniuersum lib. de sex diebus conditi orbis lectio. 6. & refert contrarias, & valde dissentientes hac de re Theologorum sententias. Alij quippe dicunt, longissimè adhuc distare mundi consummationem, donec octaua sphaera proprio motu perfectam conuersionem conficiat. Ac si duratio mundi esset propter motus caelestes, & non potius motus caelestis, propter generationes hominum, donec perfectus eorum numerus compleatur. Sunt ergo hæc coniectura, & similes valde infirmæ. Alij vero coniecturam sumunt ex eo, quod verisimile est, tanto tempore, vel maiori duraturum mundum post aduentum Christi, quanto antea durauit. Sed hoc etiam est incertum: quia cum in lege gratiæ plures saluentur quam antea, fieri potest, vt breuius absoluantur prædestinatorum numerus. Alij ergo è contrario opinati sunt, iudicij tempus non longè distare, quoniam multi ex signis illius, quæ in Euangelio prædicta sunt, partim impleta esse, partim continuè impleri videntur, nimirum prædicationem Euangelij in vniuerso orbe, seditiones, bella, perditos mores & similia. Mihitamen videtur, nihil etiam in hoc esse temere affirmandum, vt rectè monuit Beda prædicto c. 60. dicēs. *Cunctis in cunctis suis aduentus, vt siue quis ex Hebraica veritate, siue ex septuaginta interpretum translatione, siue ex virg. commixto opere codicibus, vt sibi visum fuerit temporum cursum notauerit: siue prolixiora, siue breuiora transacti seculi tempora signauerit, aut signata repererit: nullatenus tamen ex hoc longiora, vel breuiora qua restant seculi tempora putet, memor semper Dominica sententia. De die illa nemo scit.* Ratio vero conuincens esse videtur. Quia in primis prædestinatorum numerus, quantus sit, non solum ratione certa, sed neque probabiliter coniectura nobis constare potest. Quis ergo definire audeat, an plures vel pauciores homines saluandi super sint, quam hæcenus salui facti sunt? aut quo testimonio, rationeue alteram partem definiat? Et siue numerus futurorum sanctorum sit maior, quam præcedentium, siue minor, vnde scire potest, quise eorum breuiori, vel longiori tempore absoluentus sit? Cum contingat vno tempore esse plures iustos, quam alio. Itaq; considerata primaria causa, propter quam durat mundus, non potest à nobis cognosci, an eius finis longè, vel prope absit. Aliunde vero ex signis datis de secundo aduentu domini nulla fere coniectura sufficiens ad ferendum iudicium sumi potest. Nam ea signa, quæ apparent impleta, sunt valde generalia, & communia, & quæ ferè in omni tempore in Ecclesia fuerunt, non vero illa propria, & specialia, de quibus dixit Christus.

Responsio.

Beda.

Ex signis indicij prognostica, nihil de mundi duratione colligi certo, aut probabiliter potest.

Matth. 24.

Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuam. Quod apertius constabit inferius, cum de his signis agemus. Nunc autem sufficiens huius rei argumentum est, quod propter huiusmodi signa fere ab initio nascentis Ecclesiæ orta est existimatio, quod dies Domini instaret, quam licet Paulus omnino e. 2. Thessal. 2. uellere conatus fuit 2. ad Thessalonicen. 2. semper

Fr. Suarez. tom. 2.

A tamen fuere, qui propinquum affirmarent esse aduentum Domini, licet fortasse non tam proximum, sicut Thessalonicenses putabant. Quamquam de quodam Iuda Catholico, & illustri scriptore refert Hieronymus de script. Ecclesiastic. quod circa sua tempora futurum iudicium dixerit *Quia magnitudo persecutionem presentem mundi minabatur occasum.* Quem licet ipse reprehendat: idem tamen Hieron. Epistol. 11. ad Ageruchiam de Monogam. eadem mundi clades elegantissime describens, penè in eadem descendit sententiam. Ac reliqui Patres propter huiusmodi causam ferè semper monuerunt appropinquare diem iudicii, Tertullian. lib. de fuga in persecutione capit. 12. *Antichristo* (inquit) *iam instanti.* Quod perinde est. Et eodem modo loquitur Cypria. epistol. 58. & in Epistol. 56. *Scire debetis, ac pro certo credere, & tenere, pressuram diem super caput esse coepisse, & occasum seculi, atque Antichristi tempora appropinquasse.* Rursus Epistol. 63. in fine, *Iam inquit secundu eius aduentus nobis appropinquat.* Basil. Epistol. 7. in fine, *gens de persecutionibus, quas Ecclesia suo tempore patiebatur. Accessit* (inquit) *ad hæc animi mei discipulationes, & ista cogitatio, an Ecclesiam suam profusus reliquit Dominus, an nouissima hora est, & hoc pacto initium sumit desectio.* Chrysostom. homil. 33. in Ioan. versus finem tractans verba illa Pauli ad Philippen. *Dominus prope est,* ea de propinquitate secundi aduentus exponit, quamvis fortasse melius ibi intelligatur Dominus esse prope, per præsentiam, & exilium. Addit vero, *Non longe a fine absumus, sed iam mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones, hoc terremotus, hoc extincta charitas significat.* Ambrosius oratione in Satyrum fratrem ante medium. *Raptus est ne totus orbis excidat mundi finem videat.* Gregorius item Magnus libro 4. Epistolarum capit. 72. Epistol. 38. & homil. 1. in Euangel. latè hoc prosequitur. Atque eodem modo ferè loquuti sunt posteriores Patres, Bernardus sermon. 6. in Psalm. 90. Vincentius, & alij insignes diuini verbi concionatores. Ipso igitur longo rerum experimento constat, hæc signa insufficientia esse ad iudicandum de diei iudicii propinquitate. Nam eadem, quæ nunc sunt, fuere ante mille annos: & tamen nondum iudicium aduenit, nec certiora signa data sunt aduentus Domini appropinquantis. Sancti vero ita loquuti sunt, vel quia mala præsentia semper videntur maiora, vel quia vehementius aut ipsi timebant, aut timore immittere peccatoribus cupiebant, & semper vere dicere poterant iudicium Domini magis, ac magis appropinquare, vel cerrè more Scripturæ loquebantur, considerando totum huius vitæ tempus, vt breuissimam moram æternitati comparatum. Vel si aliqui fortasse ita simpliciter existimauerunt, non satis experti fuerant, vel non animaduertuerunt eadem signa, quæ ipsos mouebant, multis antea seculis eodem modo contigisse.

Hieronym.

Tertullian.

Basil.

Chrysostom.

Philipp. 4.

Ambros.

Gregor.

Bernard.

Vincent.

DISPUTATIO LIV.

In tres Sectiones distributa.

De Antichristo.

P

ostquam ostensum est, futurum esse aliquando secundum Christi aduentum ad iudicium, antequam modum illius, ac formam explanemus, dicendum est de ijs rebus, quæ proximè ipsius aduentum antecedunt, & in Scriptura nobis reuelatæ sunt, tanquam certa illius aduentus indicia. Inter quæ Antichristi persecutio sæpius, atque diffusius prædicta est. De qua in hac disputatione dicemus, explicando primo quis, & qualis futurus Antichristus sit, quæ deinde persecutio eius, & quis tandem ipsius futurus sit exitus. Quia tamen (vt

Hh

Iren.